

132 Dec 8

AMORIBUS
JOHANNIS-LUDOVICI
TALLINGER, ISLEB. SAXON. J.U.
Candidati,

Viri
Nobilissimi, Clarissimi, Excellentissimi
Dni

ANDREAE TALLINGER Austriaci, J. U. D. Electoris Saxoniae in Comitatu Mansfeldiensi Isleb. Substituti bene meriti, relictii filii;

Amabilis & Honestisq; Matrone
MARIÆ WAGNERIN.
Dni ZACHEI MIMMERS Mer-
catoris VratisL. p.m. Viduæ.
Sponsor. lectissimorum

festivâ & votivâ solemnitate
ad d. VIII. Iduum Xbris
faventium & conveniunt amicor.
consecrata

STNCHARMATA.

Pratis L. Ann. MDCXXXII. Typis exscripsit Georg. Basimann.



Ad florentissimum & Ornatum

Dn. SPONSUM.



Allingere torum viduâ cum præpete fancis:

Et lætus thalami dulcia festa paras.

Illis laxato curis precor omina corde

Fausta: Sient thalamo prospera quæq; tuo.

Non fias viduus, Sponsam non amplius ipsam

Quis videat viduam: Sed tibi forte parem

Atq; parem vitâ, fortunis atq; periclis:

Ertibi lætitiâ tristitiâq; parem.

Prole parem, studiis & amoribus omnibus ævi,

Æde & sede parem, post quoq; morte parem.

ita volebam



JACOB SCHICKFUSS de Newdorff J.U.D.

sacratiss. Rom. Imp. nec non Ducis illustriss.

Lignic. Consiliarius, & Fisci R. per Sil. S.

Patronus.

TALLINGERE patras, socio dum federe lectum,

Injiciunt luctum, funera mæsta Patris.

Fædera connubii, fiunt & funera Fato.

Faxit id æternum ne sit amator amor.

comprecabar

M. DANIEL HERMANNUS.

Ad

549809

Ad Dn. Jo. Ludov. Tallingerum Sponsam.

O bimet antiquum Pater Optimus, ecce serenos
Nubila permittens post tenebrosa dies.

Abstulerat nuper charum Tibi, Sponse, Parentem:

Optatâ jam nunc Conjuge Te exultat.

Faxit Idem, ut quoties Vos infortunia tentant

Aspera, Lux toties grata superveniat!

O sic pax patriis reddatur & aurea terris,

Auraq; tot turbas lenior excipiat!

CHRISTOPHORUS Greynwald

Lib. Baronat. Miletsenf.

Cancellar.

EXimia Aonia pars, TALLINGERE, corona,

Conjuxi (quod bene sit!) tertie WAGNERIÆ;

Publica quæ facies rerum est, privataq;, censor

Factum ausit rigidus carpere fortè tuum.

Nam quis publicitus nescit quàm Patria turbet:

Horrida quàm Martis vis sine fine furat?

Nec loca multa malis obnoxia: nomen in omne

Teutonicum, pœnas expetit ira DEI.

Privatim; Patris poterat mors mæsta videri

Non risum, at lacrimas imperitare tibi.

Sic sciscat fortasse alius. sententia nobis

Longè alia, ista probat, quæ, Neonymphe, facis.

Et cur non? Non, si malè nunc, & sic erit olim:

Non ver nunquam iniet, si modò sævit hiems.

Nec, si nunc fervet mare, erit pellacia nulla:

Nec Phæbum semper nubila nigra regent.

Quæ

Quæ mecum expendens, T ALLINGERE, incluta JURIS

Laus, sperare tori te jubeo omne bonum.

Et jubeo, Et vorveo: socii optima maxima lecti.

Fortuna exhalaret Teq; Tuamq; diu.

Propatris afflictu, patriam experiare beatam:

Defuncto fias pro patre tu ipse pater.

M. ELIAS MAJOR P. L. Cæf.

Gymnafii Vratislaviensis Rector & Pro-

feſſor, cæterarumq; ibidem ſcholarum

Inſpector.

Consulte legum, Phœbi amor, Dalingere,

Formas tot inter aureas puellarum,

Quas mater elegantiae fovet Bresla,

A moena rectrix urbium Venuſtarum,

Tot bellaque inter dis volentibus tuta,

Tibi relictis virginum tamen tædis

Viduæ carum Cupido pectus intravit,

Viduæ virentis, castæ & integri floris,

Cedere puellis neſciæ vel annorum.

Vigore, dulcis vel modestiæ cultu.

Quid liberorum suave pondus? hoc certum

His nuptiis sæcunditatis est pignus.

Faustum fiet quod occipis, nec ex hausto

Thori prioris lectus indigens fructu.

Mart. Opius.

TAllingere piis castisq; dicat Camænis,

Sæpius optasti Conjugium placidum.

Et

Et merito. Vir enim malus, ut rapidus Leo terret

Visu cuncta: rugit; perforat atq; vorat:

Omnia perturbat sic, mortificatq; Maritum.

Quando maritando non bona nupta datur.

Vir contra Sapiens tendit disponere, dulci

Quæ sunt grata toro, commoda quæq; foro:

Sic conjux bona præclarâ virtute polita

Attendit studio; quo cumulentur Opes.

Talia fatus eras quondam: Bonus ergo maritus

Esto. Nec dubites, quin bona sponsa foret.

Illa etenim primo fuerit ni fida Marito

Viveret in viduo solare relicta toro.

Ast amor atq; fides, quibus est amplexa priorem

Intima moverunt pectoris Alterius.

Tum bona si primo fuerat, nec inepta secundo,

Vlterius trino stabit amore viro.

Hinc potes hanc tutò Tibi ducere, Sponse Maritam:

Quicquid enim binis præstitit, haud renuet.

Perge modo forsan capies mox, qualis erit fors,

Tempore præſenti cudere conjugium.

Quod superest faveo, superes longævus utrumq;

Divitiis, famâ, prole, salute, virum!

ex amico affectu

ludib.

Jacob-Mart. Schickfuß de Newdorff

Illustriſſ. Ducis Monſterb. & Berolſſ.

Conſiliarius.



1.

De penetrabili; *quod erat*, frigore, *ex Virgilio*
Georgicorum primo.

Immodicum frigus constringit corpora nostra,
edocet hoc præsens tempus, & ipsa physis.
Ergo move corpus; motus quia calfacit omnis,
à magno tandem frigore tutus eris.
Res agitur tua; SPONSE, Dices decus atq; tuorum,
Ni fuerit CALOR hîc, frigora damna dabunt.
Et CALOR atq; COLOR Sponso promanat ab uno.
SPONSE, si ut vivus, FAC, CALOR atq; COLOR.
Et DFUS omnipotens dabit; & natura calorem,
Et, quodcunq; petis, si benè, ritè dabit.

2.

De nomine SPONSÆ, Wagnerin/ ad SPONSUM.

Ausa fuit quondam rem magnam, SPONSA MARIA.
Audet adhuc magnam, nomen & omen habens,
Aude aliquid magnum, SPONSI quod nomine dignum,
ut possit quivis ausa probare tua.

In honorem SPONSORUM faciebat

M. MICHAEL CÆLIUS Gym. ConR.

~~~~~

**E**T Tibi nostra tuam despondet BRESLA Maritam,  
BRESLA maritanda dives Alumna rei.  
Nec de virgineo proventu Nympha; sed Uxor  
Antea facta magis, quam facienda placet.  
Quisq; sui genium didicit cognoscere lecti:  
Quisq; suo sociam feligit ingenio.  
Patria formosas & alens ISLEBIA Nymphas  
Junxisset civem, se placuisset, Heram.  
Sed placet Uxorem nostra de gente jugari.  
Quid precer? etatem, qua placet, ut placeat.

si fa-

Si satis est Vidua probitas manifesta; placebunt,  
Ut placuere, novo dona venusta Viro.  
Forsthan haud una sedatus prole Cupido  
Inter, qua placeant, commoda gratus erit?  
Gratus erit cupida sedare Viraginis æstus  
Non grave Conjugij, Sponse, quereris opus.  
Et benè. Digna Viro, vel præstans corde virili  
Creditur à valido dicta Virago Viro.  
Si qua Cupidinibus lassus vorat ossa Mariti;  
Nonnè VIRAGO sui certa VORAGO viri?

M. HENRICUS CLOSIUS,  
Gymnastii Collega primarius.

~~~~~

Hæc tria felicitis censentur munera vitæ, Tres vitæ humanae
Ut nobis vererum natio docta refert. felicitates
Cum quis præclaris à stirpe Parentibus ortus, 1. Benè nasci,
Naturæ Pars hæc dexteritatis habet.
Altera prosperitas; si quem pia cura Parentum 2. Benè educari,
Aonio voluit labra rigare mero.
Tertia dos vitæ est, si cui benè jungitur Uxor 3. Benè Conjugari.
Quæ pia, quæ casta est, quæ studiosa viri.
Hæc nove Sponse tuis dederint cum Numina Votis
Quis jam felicem te neget esse Virum?

Acc. SAMUEL CLIPELIUS.
Gymnastii Collega.

~~~~~

**T**ALLINGERUS init thalamum atq; MARIA jugalem:  
O favens tadis, OPTIME CHRISTE, pius.  
Concedasq; novis, felicia tempora, Sponsis  
In qua nil Bereas, nil fera possit hyems:

Fidis

Fidis & Calidis, *hybernâ hoc tempora, votis*  
*Quod tibi SPONSE precor, quod tibi SPONSA precor.*

Johannes Bernhardus à Pein.

Fortunent placidos *Cælestia Numina*, vultu  
TALLINGERE tui foedera castra tori:  
Et tua, quæ celebras, genialis gaudia tædæ,  
Tristitia non turbent tempora, *vota sacro.*

Henricus Marcus à Pein.

Edite Legiferis, ô TALLINGERE, *Camænis:*  
*NUMINIS auspiciis; SPONSE jugande, bonis:*  
Denotat ut Viduæ, *quam ducis*, nomen amarum,  
*Sit dulcedo tibi, non sit amarities.*  
Sæpè latet dulcis sub amaro nomine fervor,  
Mirificè recreat qui Cor amore calens.  
Si tamen interdum quid adesse videbis amari:  
*Perfer & obdura:* dulcis amaror, amor.  
Dulcis Amaror, amor: Patientia tollit amarum.  
*Et fert dulce lucrum, quo sinè friget amor.*

Fausstæ apprecationis  
ergò inq; adponeb.

GEORGIUS STIRIUS  
Svidniciô-Elysius.



My. 41187

S y n c h a r m a t a

Amoribus Jonannis-Ludovici Tallinger ... et Mariae W  
Wagnerin ... festiva ... solemnitate ad d.VIII Iduum  
Xbris faventium ... amicor cosecrata syncharmata.  
Vratisl/aviae/, typis exscripsit Georg Baumann, 1632

4

wrocław 58 549309

MIKROFILM 85 mm

negatyw 1/11. zwol

pozytyw — zwol